



**H**einricus filius fuit Heinrici ducis Brabantiae & Sophiae filiae Ludouici Landgrauij Thuringiae, & Hafsiae, ex S. Elizabetha uxore. Cum itaque Hermannus Ludouici & Elizabethae filius ad huc iuuenis decessisset, Hafsia & Thuringia ad Heinricum Sophiae maritum deuoluta putabantur. Itaque is suum filium Heinricum ijs in locis principem constituere, atque Ludouico altero filio Brabantiam relinquere proposuerat. Verum Thuringi Brabantiae ducis filium reiicientes, Albertum, Heinrici Marchionis Misniae filium ex Iuditha Hermanni Landgrauij filia prognatum, sibi principem elegerunt. Vnde eo tempore Thuringia & Hafsia a se inuicem diuisa fuerunt. Verum Hafsii hunc Heinricum ob Sophiam matrem & Ludouici materni auum memoriam magna beneuolentia complexi susceperunt, atque omnium consensu suum principem constituerunt. Idcirco circa annum Christi millesimum ducentessimum quinquagesimum. Erat enim is omnibus uirtutibus optime educatus, atque insigni animi & corporis fortitudine praeditus. Itaque suam ditionem singulari dexteritate gubernauit, atque Hafsiae Landgrauiatum pietate & iustitia plurimum auxit. Vnde inter principes Imperij magnam sibi auctoritatem comparauit. Cum autem aliquandiu magna gloria rebus in Hafsia praefuisset, tandem moriens suam ditionem filijs administrandam reliquit. Ut autem eorum principum Genealogiam commodius intueri liceat, eam in tabula ob oculos ponemus.